...stanus.

Gorczyński (Aquilini Michaëlis): Vita coelestis Philosophi B. Stanislai Casimiritani per propositiones aeternae veritatis – consummata.

Crac. typis Universit. 1693.

VIA
CÆLESTIS PHILOSOPHI,
B. STANISLAI CASIMIRITANI,

Canonici Regularis Congregationis SALVATORIS Lateranensis, Canonicæ Cracoviensis Professi,

PER

PROPOSITIONES *Æternæ* VERITATIS *&* *Sententiam*, inoffenso pede in Vitæ Cursu consummata:

Nec non

SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS

&

PATROCINIO,

MAGNIFICI AC GENEROSI DOMINI,

D. STANISLAI DE ZDANOW ZDANOWSKI,

Burgrabii ac Notarii Castrensis Cracovień:

Circa Festivam Sui Patroni Translationem Votivæ devinctionis ergò
Luci publicæ

DEMONSTRATA,

AB

A.R.D. AQVILINO MICHAELE GORCZYNSKI,
Canonico Regulari Lateraneń: S. Theologiæ Doctore & Professore,

Defendente R. D. Andrea Preysz, *eiusdem Congregationis Canonico Reg: Lateraneń. S. Theol: Auditore, AA. LL. & Philosophiæ Baecalaureo.*

In Canonica SS. Corporis Christi, Anno Viatoris DEI 1693. Die 8. Octobris.

CRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.


Corona aurea super mitram eius expressa signo sanctitatis
IOANNES CEMOWIC SCVLP

Magnifico ac Generoso Domino,

D. STANISLAO ZDANOWSKI,

BURGRABIO & NOTARIO CASTRENSI CRACOVIENSI, &c.

Domino Patrono Amplissimo.

REgalem disciplinam tam ad bene dicendum, quàm ad benè viuendum repertam, *Apuleius* dixerit Philosophiam; ego perennibus cælestis *Vitæ* conspicuam decoribus, tanquàm Scientiam Sanctorum in *Via*, hodie in gratissimo conspectu Tuo volui comparere, MAGNIFICE ac GENEROSE DOMINE, PATRONE AMPLISSIME. *Neutrâ viâ in publicum procedere videtur, quandoquidem ille, in cuius intamitatis sanctimoniæ nitoribus adornata visitur & refulget; Divus* STANISLAVS *Casimiritanus hac Via manente, nunquam ad dextram neq; ad sanistrā declinavit. Eodem tenore Æternæ Veritatis Eclypticam emensus, usq; ad coronam iustitiæ pervenit, quam victori rerum caducarum cælesti Philosopho reddidit, in die Resolutionis suæ, Iustus Iudex. Ita, certe in publico sole victoriæ, cælitus spem & omen habet umbratica hæc Philosophia, quam BEATI STANISLAI Sanctum Nomen inumbrat: cæterum ut inter terrestres quoq; Philosophos legitime certasse & vicisse audeat, Te altero STANISLAO Iusto Iudice opus habet. Stabile id*

sibi

sibi ad coronam iter existimans, quod Tu eximio fauore monstraveris, MAGNIFICE DOMINE, *qui innumerâ virtute omnia Maiorum Tuorum decora complexus, merito etiam eorum supergressus amplitudinem, in Areopago Themidis Patriæ, ex oraculis censeris iustitiæ palma & triumphus. Non cespitabit inter strepentia contra argumentantium Saxa: non in biuio difficiliorum errabit: si post cælestem, Divi CASIMIRITANI tutelam pro Mercurio* in Via, *Tuam quoq; Patrocinantem gratiam,* Viator *Philosophus habuerit. Nempe, si inter dulces feriantis Mineruæ inducias, Cursum hunc Philosophicum ruri domiq; Tuæ, Te Spectante, Te fauente Patrono, in Conclusiones Allegoricas arctavi; quidni vacantis otij negotium, Amplissimo Nomini Tuo dicatum eam? ut illi* Viam favoris publici *Optime Mecænas, Gentilitijs Tuis SOLEIS munias, & arbitrâ semitarum Nativâ* Crvce, *aperias. Auspex bonorum* Crvx, *Divini stemma favoris, dulce decus erat præsidium & una Beati gloria STANISLAI, eius proinde Vitæ, Cruci per omnia conformis, vivam speciem in Philosophicis adumbratam dogmatibus, magno Honori Tuo iure merito solenniter devoveo. Illius voti desiderijq; plenus, ut, qui circa nuperrimam* Translationis Divinissimi STANISLAI, *Tutelaris Tui Solennitatem mihi,* Viam hanc *argumentosam auspicatò praire annuis Patronus, novo eiusdem Nominis Patrocinio, non sine Numine Divûm auctus; inde longioris vitæ faustum auspicium sortiaris, successusq; Tuos fortunatos novis successibus augeas, cælestis benedictionibus dulcedinis abunde cumulatus Ita vouet.*

Magnificæ ac Generosæ Dominationis Tuæ,

devinctissimus Servus,

Michael Gorczynski.

PROPOSITIONES ALLEGORICÆ. EX LOGICA.

I.

BEATUS STANISLAUS CASIMIRITANUS, in Alma Vniverſitate Cracovien: Philoſophiæ Doctor, nec non eiuſdem in Noſtra Canonica Profeſſor, vt ſe vel indè, *Logicum purè Practicum*, eſſe probaret, ſemper quod ore docuit, opere adimplevit. hinc ille *Logicam intra artes* linum & lanam quærere, & conſequenter cum ſit Scientiarum prima ſervam tamen illam Scientiarum, imò *ſimul Magiſtram & Diſcipulam eſſe cenſuit.*

II

IDem bonus Logicus licet ſemper rectè (Fine ſcilicet Vltimo) concludere ſciret, *pro Obiecto tamen Adæquato Attributionis* ſuæ Scientiæ *non Syllogiſmum, nec partem cum illo habuit vt ſciat ſe Scire, ſed Operationem vt ſic. Pro Materiali item obiecto non Res* caducas & fluxas (*niſi fortè indirecte* in quantum Spiritualia non poſſunt ſubſiſtere ſine *tempralibus) non voces* buccinantes ſua encomia, *non intellectum*; vana cogitanrem, *vel eius Ideas* ſibi proponebat, *ſed Opera Trinitatis: Propter Rectitudinem Paſſiuam in Fieri* valdè bona approbando.

III.

D*Iſtinctus realiter* à DEO non *fuit alius ab eo*, dum *eſſentialiter ad Modum* Divi Pauli CHRISTO confixus eſt Cruci, vt in ipſo vivere & mori, *inſeparabiliter* in Cruce, adeoq; Inventæ Crucis die promeruerit. hinc ille *Diſtinctionem virtualem Intrinſecam*, non alibi quærere, *quam apud Dominum Virtutum ſatagebat (nòn tamen Diſtinctionem Formalem nemine cogitante)* qui *Diſtínctionem formaliter ſumptam* inter virtutes cælorum *conſiſtere in poſitiuo noverat.*

IV.

D*E Præciſionibus Obiectiuis* ſcinditur incertum ſtudia in contraria Philoſophorum vulgus; Noſter Logicus *neminem unquàm vulnerauit nec de facto vulnerare potuit*, dùm nulli quidpiam de ſuo detraxit, integrum jus ſuum cuiq; tribuendo, vt vel indè concatenatas virtutes eſſe edoceret.

V.

V*Niuerſum tametſi totum quis circumierit, nil niſi circulum vitioſum conficiet, ſi quæret vniuerſale*; Noſter Logicus cum Ariſtotele Palladem hanc è ſolo naſci cerebro aſſeruit, quia quidquid in rerum natura vidit, *totum hoc ſub ratione ſingularitatis* vtpotè à ſingulari DEO conditum *cognouit.*

Quarè *si vniuersale quis fabricare volet plura per actum confusum ad incudem vocet est necesse.* Nec latis erat STANISLAO nosse *vniuersale in Causando*, quin sciret quid sit illud *in Prædicando*, siquidem præter Magisterij officium in ordine ad erudiendam Religiosam Iuuentutem, adeò eximiè Prædicatoris Ordinarij munus persoluit, vt ex eo quis conuertibiliter concludere posset, Omnes Prædicatores esse Logicos & è contrà

VI.

P*Rædicabilia* plura *vltra* 5. CHRISTI Vulnera non numerauit, proindè *Speciosum* præ filijs hominum cum Psalte volebat, cui per Isaiam non fuit *Species* neque decor, eidem *Genus* electum & *Differentiam* infinitam annectens, qui *Proprium* regnum recusauit, vt potè *Accidens* impertinens ad gloriam. *Indiuidui quidditatem* nullibi melius quàm in eodem CHRISTO effigiauit, qui non obstante dualitate naturarum *indiuisus in se & diuisus à quouis alio erat.*

VII.

R*Elationem in abstracto sumptam*, Noster Logicus docuit esse *ad aliud dum* in agendis *respectum haberet* ad statuta DEI: quæ cum duplex sit, hinc quia relatio Causæ primæ ad Stanislaum non habet vllum terminum, dicerem esse *Transcendentalem nisi scirem & Stanislaum referri Prædicamentaliter ad suum Creatorem, & Causam primam eodem respectu ferri in Stanislaum.* & vel indè patet totam structuram *Relationis Prædicamentalis non tantum constare Fundamento cum ratione Fundandi, sed etiam ipsum Terminum cum ratione Terminandi intrinsecari eidem. Transcendentalis adhuc stabit, etsi reliqua subduxeris, dum modo Fundamentum non euerteris.*

VIII.

P*Ositus in signum* cui contradicatur à Cacodæmone ipsum adeò strenuè *Forma* Crucis superabat, vt non rarò etiam *Instrumentale signum* Crucis in voluntarijs afflictationibus carnis assumens ipsum immundum vnà cum mundo sub pedibus suis prostrauerit, vt vel indè *Rationem Formalem signi per volitionem hominum actu existentem aut Moraliter perseuerantem constitui edoceret.*

IX.

N*Omen Stanislai* non tantum hominibus qui illud passim præseferunt, sed etiam ipsi DEO *ad placitum* qui eiusdem Nominis viginti duos Polonos iam beauit. Aliæ *voces* vtrum *primò & per se noscendu famulentur rebus an conceptibus* non est quæstio de voce; Noster Logicus *voce Crucifixi non conceptum* qui Crucis mortificationem in suo Corpore portauit, *sed rem ipsam exprimebat.*

X.

S*I* quis pro Tribunali Pilatus Nostrum Logicum roget: quid est veritas? responderet *esse conformitatem actus cum obiecto.* & *omnem actum verum esse verissimum, nullum falsum falsissimum*, vel hinc rectè conclusit, quod nè DEVS quidem ipsa veritas verius quid unquam protulit, quam: omnis homo mendax. Idem *Omnes Prophetas determinatè verum, omnes Pseudoprophetas determinatè falsum prædixisse* lumine fidei illustratus certò sciuit. Ego addo *siue de futuris sub conditione prophetarint siue sine illa* imò non tantum Nostrum sed minimum etiam Logicorum *determinatè verum posse prædicere, quid Antichristi temporibus sit futurum* censeo.

XI.

XI.

OPtimè licet minimè tamen Peripatheticè videtur locutus Aristoteles: Anima fit doctior sedendo, melior Nostri Professoris Maxima; *Anima sapit discurrendo*, cuius continua occupatio fuit labor labiorum eius, vel orando, vel legendo, vel lecta alijs communicando, cuius scilicet insistentes vestigijs, licet non semper ad similes discursus *tribus vtantur pedibus, duobus etiam innixi* non claudicant. Nec ignorauit *quemlibet discursum adeó potentem esse & efficacem Orationem, vt etsi ferrea esset consequentia illam post se trahant Præmissæ quælibet, non tàntum quo ad speciem, sed etiam quo ad exercitium*, nihilominus non *efficienter eam causando, verùm formaliter extrinsecè.*

XII.

D*Emonstrationem propter Quid seu à Priori* adeò exactè sciuit, quod per eam priores laboriosis officijs honores subterfugerit, certissimam ex labore mercedem à DEO dandam inferendo. Quid dicam *de Demonstratione Quia?* non ignorauit namq; *quamlibet Demonstrationem pulcherimam generare Filiam scientiam* cuius germanæ Consorores duæ *Certitudo & Euidentia non adeò nouercaliter diffident ab Opinione, vt huic in eodem intellectu imò actu de eodem obiecto nolint sociari; imò eundem actum sequi posse vitam contemplatiuam & actiuam non raró in semetipso experiri fecit.*

EX PHYSICA.

XIII.

IDem Beatus Philosophus dum cerneret tempus *resolutionis suæ* instare, factus est optimus Physiologus vt potè considerans *quid sit corpus naturale?* illudq; sicut à Tribus ità è *tribus Fieri, scilicet: Priuatione Materia & Forma*, non ignoravit, *quanquàm duo sufficiant in eodem fierì* consideranti vultum *Natiuitatis Suæ scilicet Materia & Forma.* Similiter duobus constant quæ *facta sunt*, vt vel indè pateat pluribus principijs res egere *vt Fiant* quàm vt sint *in Facto.*

XIV.

SI *Materia Prima* iuxta Philosophum: *est Primum Subiectum formarum* hoc ipsum Noster Beatus in se expressit, dùm sine exemplo primum existeret exemplar virtutum. *Rationem subiecti non in alio consistere intendens quàm in virtute perfectibiliter terminatiua vnionis substantialis cujus est perfectiuè terminatiua Forma*; in hoc tantùm discrimen fecit, quia *Materiá prima cùm sit Protheus quidam Philosophicus qui se formas vertit in omnes non ità ambit videri Religiosa vt cupidius feratur ad perfectiora* : ille quæ sursùm sunt sapiens non quæ super terram, ad ea quæ optima videbantur tendebat, vnicam cum Apostolo Apostolicus hic Vir religionem reputans, immaculatum se custodire ab hoc sæculo. hinc patet *Materiam primam hoc tantùm determinatum habere, quod sit potentia pura Paßiua* [*non est tamen Potentia purè Obiectiua*] *indifferenter proferens de thesauris suis noua & vetera.*

XV.

FOrmas reperiri *Substantiales* easq; longiſsimè à ſe diſtantes ac diſpares, non tantùm noſter Philoſophus, ſed ipſa etiam monſtrat natura circumdata varietate, nihilominùs *nulla ex ipſis eſt tota quidditas compoſiti*, ſicut Beata Anima Staniſlai in cælo, non eſt totus Staniſlaus. Idem Beatus Frater cum ſit, os de oſſibus noſtris, caro de carne noſtra, ſatiſfacit mutuò charitatis vinculo, ſi nos amet etſi non animet, *nè vel vna Forma plures informet Materias*, vel *nè plures Formæ ſint in eadem Materia naturaliter, quamuis hoc totum fieri poſsit diuinitùs.*

XVI.

QVam pretioſus fuerit Noſter Staniſlaus cælo, vel ipſa taxat *inter Materiam & Formam ejus Vnio, quàm vnicam in vno Compoſito, idq; Subſtantialem & Materialem* probat ille, qui inventâ vnâ pretiosâ margaritâ vendidit omnia quæ habuit & emit eam. Idem Beatus Philoſophus cùm *Materiam per ſe ſciret informem & indecoram, eam hac ipſa vnione cohoneſtauit, vtpotè Subiectum ſuum in quo ſuſtentatiuè recipitur, terminaturq; ad Formam tanquàm ad terminum intrinſecum. Similiter Quantitas & Qualitates communes ſeu accidentia, non Formæ aut Compoſiti totius, ſed Materiæ ſolius* dotes ei videbantur, & cùm ſit Religioſus pauper ſolam Animam beatam capacem Proprij eſſe aſſeuerabat, in qua *Accidentia propria ceu in ſubiecto proprio* collocabat. *An autem Quantitas ſit immediatum ſubiectum accidentium?* ſub Iudice lis eſt. ſenti quod libet. Nos in vtrumq; parati clypeum verſabimus ambidextri.

XVII.

QVod apud Philoſophos *tria ſint vnum, & vnum tria*, deduxit illo communi Paralogiſmo ; Omne [Compoſitum] trinum perfectum ; nec tamen indè de ſimplicitate Spiritus arguendus quod vltrà tria numerare neſciuit, imò *illi potiùs redarguendi qui pro tribus vident quatuor.* Idem Beatus Philoſophus ſortitus naturam bonam, *non fuit ipſe Natura, ſed compoſitum ex naturis.* Et ſi verum eſt quod *Ars ſit Naturæ ſemen & Diſcipula*, & quidem nonnunquam ingenioſa ſuper Magiſtram, *ille nunquàm Arti ſumpta pro habitu* vel *actu artificioſo tantum adſcripſit, quod potuerit Phyſicè & propria virtute cauſare effectus naturales diſtinctos ab aliquibus intellectionibus.*

XVIII.

QVamcunq; etiam indefectibilem *Cauſam cenſuit eſſe Principium virtute ſua communicans alicui eſſe defectibile*, cum videat quod omnia ſint hominum tenui pendentia filo, imò nec hominum tantùm verum & DEI, adeò namq; non modo funiculo triplici connectitur DEVS, *ſed filo quoq; minimo vt ſi hoc, ità impoſsibilitas implicaret*, vt nodum euoluere nequiret DEVS, *hoc ipſo quoq; Diuinæ exiſtentiæ quin & poſsibilitati filum præſcinderetur.* Et licet *non omnis Cauſa neceſſario debeat eſſe prior ſuo effectu duratione*, nihilominùs *etiamſi Cauſa & effectus ab æterno extitiſſent adhuc Cauſam priorem effectu originatiue & natura ex communi Philoſophorum ſenſu* eſſe volebat, quam *in actu primo Phyſico cum Decreto DEI applicante Omnipotentiam, pari paſſu incedere non dubitabat.*

XIX.

XIX.

ACtiones feuerè in fuum corpus aduertentis dexteræ *cum producto termino in eodem fubiecto recipi* fenfus Noftri docuit Philofophi, in innocuo fcilicet corpore inflictas vulnerum cicatrices. *Nec has actiones diftingui à paßione* cruentis rafum limis quas patiebatur, fenfit Noftri Philofophi corpufculum. Idem Beatus Philofophus *in omnibus actionibus tenebat Modum*, minimè hac in parte imitatus DEVM, qui cum fit ordinatiffimus, operatus eft *fine Modo*, etiam die Sabbati quiefcendo ab opere mundi fextiduo, quia *vnum eft facere & conferuare*. Hinc ille cum neminem unquam læferit *neminē lædi à feipfo nifi à proximo cenfuit*, maleuolos fibi animos, illa depingens epigraphe: proximus ardet vcalegon. Idem imò non idem tantùm, fed ipfi etiam lepores fciunt, *Caufam non exiftentem operari non poffe*, cum plerumq; mortuo impunè infultent leoni, alias enim contra communem fenfum dicere debuiffet *aliquid caufare feipfum poffe quoad primum effe, quod fe nec quo ad fecundum caufare poteft.*

XX.

IDem Beatus Philofophus exploferat faftum Philofophorum tribuentium vim *Creaturis feipfas conferuandi tàm in Fieri quam in operari*, ex quo ftrictam in operando dependentiam ab arbitra Superiorum fententiâ dedicerat, à qua abfolui piaculum potiùs, quam abfolutionem crediditfet. *Quid autem de Diuino influxu cenfuerit palàm eft, in quem toto alueo immenfum mare DEVS influxerat. Nullum proindè Proregem aut vice DEVM fubrogare fibi poteft DEVS, in quem concurrendi munus aut Prouinciam exoneret. Sceptra & imperia, quàm facile alius ipfe, tàm nemo illi poteft eripere, imò nec ipfe fibi.*

XXI.

NIhil in Sacro libertatis Regno Seruorum DEI omnibus numeris abfolutus Beatus ifte Philofophus inuitâ faciebat Religione, *quare vt præiudiciofam liberati humanæ expunxit Prædeterminationem Phyficam, fimiliter Decretum DEI efficax fcylla & charybdis videntur liberati humanæ.* Igitur qui fecurè nauigare Voles, heu fuge littus auarum! tutiffimum iter inceſferis, per quod ad fortunatas vfq; penetres, fi clauo libertatis tuæ Nauarchum admoueris, cui Nomen *Decretum DEI inefficax.*

XXII.

SCiens non procul à proprio ftipite poma cadere, cùm fit ipfe honeftiffimis & Nobilibus ortus Parentibus, etiam ille nunquam infixus in limo profundi vbi non eft fubftantia, legitimè fubintulit: *Subftantiam nonnifi fimilem fui parere fubftantiam, at nonfemper, parturit & nonnunquam degeneres filios accidentia.* Quid mirum Heroum filij non folum Heroes fed & noxæ? *Accidentia tamen nulla ratione aut experimento probauit aliquando genuiffe fubftantiam, nifi fortè ed eandem fimul cum fubftantia effectiuè inftrumentaliter concurrant: vel per potentiam obedientialem* vt vel inde Religiofæ Vitæ fectatores, obedientiæ virtutem æftiment, cum obedire poffe, fit poffe omnia.

XXIII.

MInimum ſe in ſuá Religione reputans, Quantitatis conceptum in magnitudine patientiæ definiuit; nulla enim parte aduerſis peruius & penetrabilis, *Quantitatem in impenetrabilitate partium cum alio Entè conſtituerat*; hinc ille in patiendo metas tranſcendens, & adulatricem ſuperans diſcretionem, pia ſuppliciorum cataſta corpus domando, *Diſcretam Quantitatem non eſſe verám quantitatis ſpeciem judicauit*, & ad ſpeciem credebat Religionem, ſi ampliùs & ampliùs non pateretur, vt afflictionum ſeriem diſcernere, & ad calculum poſſet revocare.

XXIV.

IN charitatis negotia ob commodum proximi ſe diuidens *Continuum ex indiuiſibilibus componi non admiſit*, in quibus nunquàm decreſcens puſillanimiter *etiam Minima Phyſica Continuo obeſſe cenſuit, ex partibus finitis in infinitum diuiſibilibus illud componi docuit nihilominùs*, dùm collectam Paternæ fortunæ ſupellectilem partiretur in egenos.

XXV.

INfinitum intra ſua concluſerat merita *eſſe illud ex quo ſucceſſiuè accipiendo, nunquàm eſt deuenire ad vltimum*; tantum enim meritorum ærarium tot ſæculis nequit exhaurire poſteritas. *De Categorematico infinito in numero & extenſione* juſtè dubitauit, cum Beatarum mentium cumulum, tantùm alias, quem dinumerare nemo poterat, in ſui conſpectum effuſum *finitum deprehenderat, & ſui adiectione majorem fecit. Famam verò Nominis ad vtramq́ ſolis extendens metam, vltra theatrum Orbis extendi in infinitum hucuſq́ experitur.*

XXVI.

LIcet *non repugnet aliquem exiſtere diuinitùs ſine omni vbicatione ſeu præſentia formali* Staniſlaus non poteſt eſſe, & tamen nullibi eſſe, imò potiùs dum Orbi Lechico fauet patrocinio, *poſſe diuinitùs ſimul eſſe aliquem in pluribus locis adæquatis*, ſuo docet emolumento. Videat ergo verus obediens qui dono replicationis inſigniri velit, replicas vitet neceſſe eſt. Cum autem *Replicatio nihil addat niſi locum* benè ſequitur, quod ſi DEVS Noſtrum Philoſophum replicaret, ni miraculo miraculum cumulare vellet *ſine ſatellitio qualitatum id facere non poſſet, quas ſibi naturali jure vendicat; ſecùs tenendum eſt de accidentibus eſſentialiter affixis loco vel repugnantibus eidem ſubiecto.* Porrò quia ſacrarum qualitatum pleniſſimus fuit, *vacuum in natura non admiſit.*

DE ORTV & INTERITV.

XXVII.

COelo maturiſſimus Philoſophus Noſter Religioſæ vitæ exorſus infantiam, *Generationem definiuit mutationem totius in totum nullo ſenſibili manente vt ſubiecto*; tunc enim ſenſerat iam non ſe vixiſſe, ſed CHRISTVM in ſe, dùm ſacra quadam metamorphoſi vbi niueæ mentis candor cum ve-

ſte ſa-

ſte Sacra ſucceſſerat, leues etiam noxas expunxerit. hinc inferre *quid ſit Natiuitas facilè eſt, quod ſit origo viuentis à viuente in ſimilitudinem naturæ,* nàm vitæ æternæ animatus inſpirationibus, per religioſi cultus poſſeſſionem, Diuinam non humanam vitam inſtituerat.

XXVIII.

R*Arefactio* multos hactenus in anguſtias cōdenſauit. in eius deciſione tot propè operam ſuam poſuerunt Philoſophi,quot in Dianæ temploReges Aſiæ. & nondum finis adhuc hodie multos Oedypos Spynx hæc Philoſophica fatigat; Noſter Philoſophus in hoc negotio ſicut *minima* Prætor, *non curat corpuſcula. Nec punctum cum illis ponit qui ad puncta recurrunt buccata & bullata*; quæ quidem nunc è muſcis in elephantos, nunc in muſcas vertuntur ex elephantis. *Nec illam cenſet fieri per productionem nouæ quantitatis* ipſe iam quantus ſit in profectu virtutis & doctrinæ oſtendens, *ſed per productionem qualitatis exigentis majorem extenſionem localem Corporis rari,* quaſi vellet eo ipſo non Patriæ ſoli, ſed vniuerſo Orbi ſuccurrere rarâ pietate.

XXIX.

Q*Vid autem ſit conuerſio* illi didicerunt, qui ſub hoc ſapuêre Magiſtro, è ſæculari conuerſi vita in ſanctiorem *tranſitum vnius rei in aliam aſſerentes; exuere namq́ oportere veterem hominem & induere nouum ſuo exemplo probauit*, ad cænobiticam vitam aſpirantes, cum *præcedentem Formam ex animo expulerat, quam aliquantum mundo conformem protulerat.* Idem Beatus Philoſophus *augeri, nutriri, alterari corpora motu ſucceſſiuo & quidem continuo docuit,* in perfectione feſtinando lentè [ſciens ipſi etiam naturæ placere lenta non violenta] nè ſuccumbat, *Morulas non admittendo* vel nè deficiat non proficiendo, vel nè aliquam moroſitatem committat.

XXX.

SEmper eundem animi tenorem ſeruans, alterationem definiuit, potiùs quam ſenſit: *Eſſe* nimirùm *motum ad qualitatem,* immotus aliàs à paſſionibus, niſi ſacro Spiritus calore motum fuiſſe cenſeamus. *Corruptiuam Alterationem illam docuit, per quam ſubiectum idem mànens ſenſibile, mutatur in paſsionibus contrarijs vel medijs:* paſſionibus quippe contrarijs profligatis manſit ſenſibilis ſine moleſtiarum ſenſu. In Eurippo Crucis CHRISTI cæleſtis hic Philoſophus abſorptus, flammam corporis reſtinguendo *docuit qualitates contrarias fluenta ſcilicet lachrymarum effuſa, & hunc ignem in ſui corporis ſubiecto potuiſſe ſubſiſtere*; iam verò aſperè tractans molle corpus, ſaxo inter ſomnum viſuali *conciliari diuinitùs potuiſſe hanc qualitatum antipathiam in ſe probauit.*

XXXI.

INtenſis Diuini amoris actibus abreptus, *Intenſionem nil aliud quàm augmentum ſacræ qualitatis in parte ſubiecti hoc eſt in anima ſenſerat.* Per hunc ergò aſcenſum mentis, DEO vicinior, *fieri intenſionem vnius gradus ad alterum & quidem homogenei ad homogeneum acceſsione, non dubitauit*; horum enim concordiâ res paruæ creſcunt, diſcordiâ maximæ dilabuntur. In clara doctrina & via illuminatiua perfectus, *docuit luminis intenſionem principaliter pro-*

duci ab agente luminoso, ad quod suam explorabat palpebram, ad solem videlicet Iustitiæ CHRISTVM.

XXXII.

NOn obstante quod ipsa rerum natura doceat altercari homines *dando locum actionibus & reactionibus*, Noster Philosophus dum lacesseretur injurijs nunquam reagere visus est; imò *antiperistaticam intensionem dari probans* practicauit illud: Creuit ab aduersis virtus; cùm nimirum *inter circumstantia contraria fortior semper euaserit*. Idem Beatus Philosophus *simile non agere in simile didicit* ex illa páræmia: Simile simili gaudet, non secutus illos qui persequebantur justum, sed potiùs Psalmistam loquentem: cum sancto sanctus eris, cum peruerso peruerteris.

DE ELEMENTIS.

XXXIII.

NVlli unquàm nisi sibi grauis, inq; moribus nunquam leuis, palàm fecerat, *Elementa nec grauitate nec leuitate in proprijs locis*, hoc est fastuoso humore nunquàm visus ferri præ cæteris, nec à terrenis sensum cælestium deprimi passus. *Compositionis expertia volunt esse Chimici Elementa*, sed simplicitate quam illis arrogant videntur ipsi laborare: melior nostri Professoris sensus, *qui vult esse composita ex Materia & Forma*, cùm se alias compositissimus ad normam componeret regularum. *Non est autem necesse, vt Stanislaus circumferat in se quatuor Elementa actu & formaliter*, ad hoc vt sit dicaturq; microcosmos & quasi perfectionum epithome, *sed sufficit si quatuor illorum polleat virtutibus, seu qualitatibus & quasi cardinalibus*.

XXXIV.

T*Erram appetitiuam sicci magis quàm frigidi censuit* in siccis & inedia terreum corpus macerando. huius afflictationis appetentissimus erat, quod ea victitare videretur. Liquescens verò in lachrymarum vndis temperari internos æstus non frigidus Religiosus expetebat; *quare aquarum sacrarum Elementum testatus est appetitiuum esse magis frigidi*. Versatissimus alias in omnibus *circularem motum à terra relegauit*. *Trepidationis etiam motum timuit illi incutere*, pro terra nunc quoq; pavidus, ne à vindice dextera Numinis casibus succumbat.

EX ANIMASTICA.

XXXV.

IDem B. Professor egit tunc vel maximè de Anima, cùm ageret Animã, nam Æterni Verbi ad Sanctorum agmina vocatus effato: Hodiè mecũ eris in Paradiso, subitò *Immortalem Spiritum* quem semper promptum gessit ad obediendum vocanti, in manus suo reddidit Conditori. Noscens autem seipsum cognovit quid sit Anima, proindeq; subscripsit definienti Philosopho, *quod sit actus primus corporis physici organici potentiâ vitam habentis*, nullatenùs consentiens eis, qui animam corpori suo organico atq; organo

gano organiſtam exteriùs tantùm harmoniam moderantem addiderunt. *Viuens in actu primo optimè definiuit eſſe id quod conſtitutum in ſuo ſtatu naturali ac perfecto, mouet ſe ab intrinſeco ſeu operatur immanenter*; multa enim bona operatus eſt quorum cognitionem ad nullius voluit tranſire notitiam. Idem *plurima annotauit in libro viuentium inter quæ adnumerauit etiam oſſa* arida, quibus ſe tanquam propugnaculis tueatur aduerſùs mortem oſſeam hoc eſt ſecundam.

XXXVI.

ANima STANISLAI ad imaginem & ſimilitudinem DEI microcoſmum ſuum regebat, *vt tota ſit in toto, tota in quauis parte, proindèq; nemo tam acre ferrum reperire vnquàm poterit, quod usq; ad diuiſionem Animæ Rationalis pertingat. Animas nihilominùs ſenſitiuas diuiſibiles integraliter mors eius docuit*, dimidium ſiquidem animæ ſuæ Religioni reliquit, quàm ferventiſsimè non ſecùs ac in Vita ſua filiali foueret affectu. Et cùm nunquàm verſipellem gereret animum rectè tenet animus, *omnes partes in quas Anima materialis eſt diuiſibilis, eſſe homogeneas*. An autem vnus altero intra eandem ſpeciem animam ſortitur meliorem? *de Beata STANISLAI Anima certò liquet, eam eſſe perfectiorem alijs accidentaliter, ſubſtantialiter autem loquendo, omnes piſtorum animæ eiusdem farinæ, omnes braxatorum eiusdem ſunt fecis. quanquàm de poſsibili aliter fieri non implicet.*

XXXVII.

NOn immemor illius axiomatis Divus hic Philoſophus: Non ſunt multiplicanda Entia ſine neceſsitate, *Potentias non diſtinxit realiter ab Anima, niſi tantùm formaliter inter ſe, ab Anima autem ſaltem inadæquatè*; quæ enim id extorquet neceſsitas, vt ſeipſa nihil poſſe, ſed tantùm ancillularum ſtipata ſatellitio, operâ, anima dicatur? præſertim, cùm vel conceſſa etiam hac inter Potentias & Animam diſtinctione, adhuc *Beata Anima STANISLAI non minùs immediatè actibus bonis operam dare debuerit*, acſi nullas eiuſmodi in miniſterio famulas haberet; ſic enim totum reputatum eſt illi ad juſtitiam.

XXXVIII.

DAri *Species impreſſas in phantaſia & externis potentijs admiſerat*, dùm per reſignationem propriæ voluntatis in manus Superiorum, rerum Species amitteret, indèque ſpecioſior præ cæteris factus eſt, exſortem ſe omnium rerum faciens, & noxarum tantùmodò heredem autumans. *Quid autem ſit Species impreſſa? Certum imprimis eſt eam non eſſe imaginem, idolum, & ſimulacrum obiecti, in quo priùs cognito cognoſcatur obiectum*; omnibus ſiquidem Virtutibus recipiendis non ad ſpeciem palliatam hypocriſi annuit, ſed de formis ſacris Virtutum ſibi intrinſecè inhærentibus ineſſe eas fecit. *Eſt ergò Species impreſſa ab obiecto producta ad hoc, vt cum potentia effectiuè concurrat ad vitalem operationem per modum comprincipij determinantis ac complentis potentiam* Stanislai in ordine *ad eliciendas operationes ſuas.*

XXXIX.

I*Dem quid sit definitiue Habitus Vt sic, & quotuplex* demonstrauit, *quando per frequentatos actus faciendo bonum, à malo declinauit.* Qui licet Sanctissimè Religiosam Paupertatem coleret, præter *Habitus Intellectuales* quos semper retinuit *quinq;*, Scilicet *Habitum Intellectus* in omnibus assentiendo primo Principio, *Sapientiam* contemplando magnalia DEI, *Scientiam & Artem* cognoscendo certò & infallibiliter, vnaq; practicando quæ erant sui instituti, & *Prudentiam* dirigendo actus suos ad finem supernaturalem: ditior fuit *affectiuè*; nouit enim combinari posse ista duo, & vouere paupertatem & pauperem non esse.

XL.

SEntiens Noster Professor aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, per experientiam didicit, nobisq; discendum proposuit quod *actus, si subiectum habitu contrario subiectum inuenerit, non illicò domo sua illum exuit, primò statim aduentus sui instanti, sed expectat dùm pedem firmet & euadat necessarius, & tùm demum nouo etiam habitu auctior quem ipse generat, veteres migrare colonos, quâ datâ portâ, facit.* Similiter experimentali argumento *probat, neminem ita nudum ex actibus a natura procreari, vt sine habitu in lucem prodeat nouo & quasi nuptiali*; tantam quippe ad operari benè promptitudinem habuit, vt quod semel fecerit bonum, semper ad illud faciendum necessitatus fuerit.

XLI.

I*Ntellectus Stanislai quo nil speciosius etiam modo sine specie in obiecta non tendit, nec inter potentiarum materialium subselia connumerari debet, verùm ad majora natus in ordine resides Spiritualium. Apprehendit sine manibus dexterrimè. judicat, sine oculis acutissimè. discurrit sine pedibus velocissimè. Omnia peruadit, omnia penetrat. Præter DEVM vix quid dederis cuius abyssum solidè non attingat, aut possit attingere. Soboles eius Intellectio qualitas ab omni seruitute libera & absoluta, adæquatè & formaliter constituta termino & actione simul.*

XLII.

C*Æcitatem voluntatis humanæ compensauit aurea libertate Natura, & quod ipsi famuletur Intellectus facem præferendo & filum prrigengo nè gradatur in incognitum, vel in errorem impingat: Nostro Philosopho præter commune priuilegium naturæ, desuper à Patre luminum datum est, quod incedere possit recta etiam sine face, tantoperè boni appetens & à malo abhorrens, vt malo nunquàm benè velle, qua tali, bono nunquam malè affici queat qua bono; Cui licet non sit indultum idem obiectum efficaciter velle & nolle nisi in sensu verificatiuo illius scripturæ: Tempus dilectionis & tempus odij*; Noster Philosophus potuit simul vtrumq; & persequi peccata; & prosequi virtutes, vitare nociua, & inuitare ad salubria, abhorrere prohibita, & adhærere præceptis.

XLIII.

TAntum autem voluntas Intellectui præcellit inter potentias, quantum inter metalla aurum ferro; *Intellectus enim ferrea necessitate tenetur, voluntas libertate pollet aurea, tali tamen quæ formaliter loquendo non est adæquatè intrinseca actui voluntatis.* Præterea voluntas amplissimam domi suæ numerat familiam, multos habet liberos, multos famulos & quidem necessarios, nam cùm Beatus iste elegerit vnicè abiectus esse magis in domo DEI sui, quam habitare in tabernaculis peccatorum, hinc colligere licet *non esse electionem liberam, si medium tantùm sit vnicum ad finem. Similiter actus imperati, etsi titulo præferant libertatem, non erant liberi* STANISLAO, *ob abnegationem propriæ voluntatis Imperanti, sed serui Seruorum DEI.*

EX ME-

EX METAPHYSICA.

XLIV.

AD ea quæ naturæ metas excesserunt facit hîc illustrem metaphoram Noster Philosophus ad Metaphysicam scilicet. Sapientiam ille iuxta mentem Doctoris Gentium stultitiam reputauit, quarè & *Metaphysicam Scientiam tantùm speculatiuam appellauit, & secundum quid sapientiam. Eius Obiectum Formale Adæquatum Attributionis Ens Entium esse statuit, tale tamen quod æquanimiter & vniuocè Creatrem & creaturas respiceret; ad cognoscendum enim* DEVM & *seipsum omnem meditandi rationem referebat.*

XLV.

NUlli unquàm repugnans *Entis rationem expressit, scilicet esse id cui non repugnat existentia*: iam verò *inter Ens formaliter ex parte actus & differentias* ab improbis & discolis scilicet virtutes ferè omnes *nodum tàm arctum intercedere sensit, vt Alexandri acinace res egeat. Pure possibile non esse meram denominationem extrinsecam ab Omnipotentia DEI, sed esse aliquid intrinsecum rebus quæ denominantur* hoc ipso ostendit, quia *idem prorsus olim existit, quem possibilem* & futurum nobis per omina sanctitatis inaugurauimus.

XLVI.

AD DEI & proximi obsequia Noster Philosophus totum se effundens, didicit *existentiam à proportionata sibi essentia non posse distingui realitèr rigorosè*; imò si quandò exigit sermo inter Fratres *de actuali existentia, illam nec propriè physicè distingui, nec propriè physicè identificari cū essentia aut cū Existentia purè possibili asseuerabat* sic eos volens manere vt in sociatis consortijs nulli se faciant nimis sodales, nè minùs gaudeant doleantuè nimis. Vndè tantum inferre licet *essentiam & existentiam possibilem ab essentia & exitentia actuali posse distingui realiter inadæquatè ratione diuersorum statuum.*

XLVII.

PRincipium *indiuiduationis non tenuit accidentia characteristica*, minoris notæ & abiectionis videri ambiens. *Nec Materiam signatam accidentibus*, nunquam enim Materialis fuerat Religiosus, vt tantum ambiret notari aduentitio honorum colore & speciosis accidentibus. *Circumstantias quoq; loci ab hoc exclusit munere*, sublimi loco supra cæteros detrectans eminere & ad apparentiam esse: sed *adæquatum principium indiuiduationis ipsam entitatem rei censuit* in nullo unquàm notatus, sed sola sui imagine in posterorum notus memoria.

XLVIII.

COnceptum *Substantiæ* in se exhibuit cælestis hic Stoicus *esse Ens per se stans*; nunquàm enim alieno stare suffragio visus, sed erectiori in virtutem animo, perenne fulcrum stetit & stat Patriæ. *Accidentis quoq; naturam non excluserat à se, cùm dependere & esse ab alterius subiecto., cui se subiecerat, exigeret magis quàm præeminere.*

XLIX.

COnceptum *Subsistentiæ, quæ est quidam terminus & coronis naturæ ad fastigium suum perducta,* Antistes Cracoviensis Divus STANISLAUS in eo expresserat, quem morbo fractum ad agendum pro DEO fortiter erexit, inq; locum sui velut Atlantem sustentando Lechico Orbi, vt subsistat perenniter, subrogavit. *Quam subsistentiam quid negativum esse negamus*, cûm nihil supplicibus negare studuerit.

L.

DEUM quem nemo vidit vnquàm, non tantùm fidei & rationis oculo, sed etiam facie ad faciem in Rupellana Ecclesia Tutelaris sui orans conspexit, *eius existentiam omnibus etiam cæcis à posteriori demonstrans* manu miraculosa in certo beneficiorum indicio. De alatis Genijs seu Angelis melius illi, qui sub vmbra viuunt Doctoris Angelici, quàm qui Solem adorant Aristotelem, primum secutus in vita *Noster Angelus Angelorum existentiam suo cum illis commercio monstrauit, quibus deformitatem appinxisset, si illos vel Materia, vel Forma adornasset.*

LI.

Contradictoriorum paradoxam existentiam facilè conciliauit, vt *Ens effecerit Rationis*, nam vbi in vita videri desijt, videtur maximè post funera in miraculis. *Quid sit Priuatio?* etiam post peractum Vitæ cursum sanctè conclusit, *Carentiam, scilicet esse formæ in subiecto capaci.* Sic iam Noster consummatus Philosophus, ex quo semper bonum certamen certauerat, in prœmium meriti à Chara Matre Academia Baccalaureatu Theologiæ insignitus, dum prænosceret *Priuationem ratione sui non suscipere maius prout nec minus, nisi ratione termini si sit capax intensionis*, ad cælestem Theologiam gradùm fecit corona justitiæ in termino Beatorum decorandus. Cui etiam Nos honoris *Ergò* particulam deferentes trieteridis Philosophiæ Tractatum dicamus.